



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

4. Christus Iesus, tanquam Lanæ vellus, Ædificio Spirituali Virtutum supponendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

in Litteris divinis, per Vellus exprimitur *ἡ μαλὰς*, mansuetudo, seu longanimitas. Sic Psalmo LXXXIX. 10. ubi ex LXX. legitur: *Quoniam supervenit mansueto*, in Hebræo legi potest *gez gez*, quæ vox alibi (a) per *Vellus* redditur. Hoc *Lana vellus*, id est, *DEI Misericordia*, si cum Carbonibus, id est, iudiciorum divinorum Timore prematur, & & calcerur in corde, omnem illecebrarum humorem ex paludosa illa tellure exprimit, solumque ejus ad sustinendum virtutum palatium stabiliet.

(a) Deut. XVIII. 4. Job XXXII. 20. Serarius Judic. VI. q. 24. nu. 6.

## ARTICULUS IV.

### CHRISTUS JESUS

*Cui Lana Vellus, Edificio spirituali virtutum  
supponendus.*

MELIUS fortasse fecero, si *Lana Vellus* fundamento Domus spiritualis substernendum, dicam esse illud, sine quo nulla inchoatur, sive in terris sive in cælis, Palatii moralis, mystici, divini, ædificatio, quodque omnibus supponi debet, ut firmitatem assequantur. Is est CHRISTUS JESUS, viuum virtutum omnium Fundamentum, ac unice solidissimum. An non enim in Christum Charismata Divini Spiritus, sicut *Pluvia* in *Vellus* descendere? *Quid VELLUS Gedeonis significat*, inquit suavissimus Bernardus, Sermone 2. super Missas. *quod utique de carne tonsam, sed sine vulnere carnis, nisi Carnem adsumptam de Carne Virginis absque detrimento Virginitatis. Cui utique distillantibus cælis, tota se infudit plenitudo Divinitatis. Si Christus est Agnus DEI innocens & immaculatus,*

us, ejus Caro est candidissima Lanæ Vellus, cujus meritis omnia ædificandi impedimenta auferuntur. Videtis-ne quàm bellè convenient Architecturæ sacræ profanæque observationes. Ex quibus deduximus, accommodatio sensu, Timorem Domini, & ejusdem misericordiæ fiduciam, adjunctis Agni immaculati exuviis, ac meritis, esse *Carbones & Lana Vellera* in palustro animæ solo jacienda & calcanda, ut Domus Sapientiæ, quæ Divinum est virtutum ædificium, possit exurgere.

## ARTICULUS V.

## ARTIFICIUM ARCHITECTONICUM

*Collocandi fundamentum, adactis in imo Palis.*

**M**AGISTER Architecturæ vulgaris Vitruvius libro tertio cap. 3. quod est de foundationibus, tam in locis solidis, quàm congestitiis, postquam docuit, / foundationes in solido fieri debere, si queat solidum inveniri, addit, si hoc non reperiatur; sed locus sit congestitius ad imum, aut paluster, debere palis alneis, aut oleagineis, aut robusteis ustularis configi, sublicæque machinis adigi, & tunc structuris solidissimis fundamenta implenda esse. Alii brevius id exprimi posse existimant, & dicunt, terram prius fistucationibus, nempe, palis è robore, alno, olea ustularis, & fistuca machina adactis solidandam, antequam principale fundamentum jaciatur. Idem præceptum inculcat lib. v. cap. 12. Atque secundum hanc regulam, Venetiis, cùm ea vrbs Adriatici maris stagnis & paludibus inædificata sit, fundamenta ædium constituuntur. Quod refricat mihi memoriam

B b 5 civi-